B. N. C.
FIRENZE
1038
16

VERITATES
PRINCIPES

Ex Tertia Parte

MAGNI THOMAE
AQVINATIS.

Angelici Doctoris Eccleſiæ.

Publicè diſputandas proponit in Comitijs Prouincialibus,
Ordinis Prędicatorum Florentię in Conuentu
Sanctæ Mariæ Nouellæ celebrandis.

Frater Thomas Maria Speronius Viterbienſis,
eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ ſtudens.

Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Fratri
Nicolao Rodulphio.

Dicatas.

FLORENTIAE,
Apud Dominicum Giraffium. M.DC.XLVII.
Superiorum permiſſu.

1038. 16.

REVERENDISSIMO
Patri Magiſtro Fratri
NICOLAO
RODVLPHIO

Frater Thomas Maria Speronius
Ordinis Prædicatorum.

DIù mihi verſanti, Reuerendiſſime Pater, cuiuſnam, patrocinio niterer, dum Theologicos hos floſculos e Thomiſtico viridario exceptos in lucem edere, & ab argumentorũ telis immunes reddere cõtendo; illud occurrit animo, eos viro, qui morum, ac vitæ integritate, doctrina, ac nobilitate cæteros excellat, eſſe dicandos. Ad cuius patrocinium Zoilorum lingua obmuteſcat, & argumentorum ſpi-

cularuant. Talis itaque cum ſis Reuerendißime Pater, has tuo nomini ingenij mei primitias offerre ſum auſus. Eas itaque pacata, hilarique fronte excipias, oro; tuo enim munitus omine alacriter argumentorum tela repellere, & ſpero, & confido, meque tuorum meritorũ memoria deuinctiſſimum profiteor.

Interim dum tibi a ſuperis Neſtoreos annos deprecor, meam erga te obſeruantiam, etiam, atque etiam commendo.

Vale.

De Sacroſancto Incarnationis Arcano.

1 DEum humani generis reparatorem poſſe incarnari, ſecundum fidem tenendum; nullumque intellectum creatum, etiam perfectiſſimum, quemadmodum eſt Angelicus, poſſe viribus proprijs, ac naturalibus euidenter poſſibilitatem, atque exiſtentiam Incarnationis cognoſcere, affirmare non veremur.

2 Sacroſanctam Incarnationem fuiſſe Deo, humanitati, totique Vniuerſo apprime conuenientem, affirmamus; etiam ſi conueniens pro vtili accipiatur. Non tamen ſimpliciter neceſſarium fuiſſe Deum Incarnari, mundi creationis ſuppoſito etiam decreto, Nam aliquid aliud, nullum que conuenientius, atq; aptius ad huiuſmodi reparationem inueniri potuiſſe medium, defendimus.

3 Nullus purus homo ſufficiens eſt, ad hoc, vt ſatisfaciat pro peccato originali, aut actuali proprio, vel aliorum; bene tamen Chriſtus dominus non tantum æqualiter, imo ſuperabundanter; non ſolum ex extrinſeca acceptatione Dei, ſed etiam ex intrinſeco, ac proprio valore, vtpote infinito, omnibus hominum culpis ſatis ecit. Vnde huiuſmodi ſatiſfactionem eſſe de toto rigore juſtitiæ, firmiter tenendum.

4 Si primus noſter parens crimine non fuiſſet eo inquinatus, profecto filiũ Dei carnem humanam induiſſe, non opus fuiſſet. Veniſſet autem in Mundum hab. tu inuentus vt homo ſolo exiſtente peccato originali; nõ vero actuali ſiue mortali, ſiue veniali, ſiue in paucis, ſiue in pluribus inhærente.

5 Incarnationem in finem Mundi differri non fuit conueniens; ſed poſt tot annorum, ac ſæculorum tranſactum curriculum nobis concedi.

De modo vnionis Verbi Incarnati.

1 VNionem Verbi Incarnati, non in natura, vt Euches, alijque Hæretici, ſed in perſona, vel hypoſtaſi factam fuiſſe, luce clarius arbitramur, abſque vlla naturarum permixtione, & confuſione.

2 Ex quo factum eſt, Perſonam Chriſti, prout duplici fungebatur munere vtramque naturam terminandi, poſt incarnationem eſſe realiter compoſitam, quatenus, ſcilicet vna perſonalitate duæ naturæ ſubſiſtunt, atque realiter diſtinctæ vniuntur; etiam ſi perſona ſecundũ ſe ſit ſimpliciſſima, & diuina.

3 Diuino Verbo humanitas Chriſti non accidentaliter accidente neque

prædicamentali, neque prędicabili, ſed ſecundum hypoſtaſim, & ſubſtantialiter eſt vnita.

4 Ad duarum naturarum coniunctionē in Chriſto, relationem quamdam vnionis, quæ vnitorum extremorum denominationem ſortitur, conſecutam eſſe non ambigimus; quæ quidem relatio ex parte humanitatis realis eſt, & creata ex mutatione creaturæ nata; ex parte vero diuini Verbi, rationis tantummodo; illi enim nihil reale poteſt in tempore aduenire.

5 Hæc autem vnio ex parte termini, qui eſt perſona diuina, omnium maxima cenſetur; ex parte vero extremorum, quæ nullam exaptationem habent ad inuicem, eſt cæterarum minima.

De cauſis moralibus vnionis humanitatis ad Verbum.

1 OB repertam inter gratiā adoptionis, & vnionis improportionem, Antiqui Patres Incarnationem de condigno non meruere; quin imo nec etiam de potentia Dei abſoluta mereri eam potuerunt.

2 Si tamen de congruo loquamur, ipſam mereri valuerunt; ſicut de facto meruerunt, nō tantū quoad ſubſtantiam, verum etiam quantum ad eius circumſtantias ordine executionis, videlicet, vt eſt effectus meritorum; non ordine intentionis, quia eſt principium meriti.

3 Beatiſſimam Virginem, tantum abeſt, vt de facto meruerit de condigno eſſe matrem Saluatoris, quod nec etiam de potentia abſoluta eam mereri ſufficeret; bene tamen de congruo eam meruiſſe maternitatem, nō minus, ac veteres Patres Incarnationem meruere, ſentiendum.

4 Chriſtus de facto ſuam incarnationem mereri non potuit per opera ordine naturæ pręcedentia humanitatem ordine vnionis ad Verbum, cuius humanitas erat tantum principium quo formale operationum. Item neque per opera incarnationem ſubſequentia, quia ſupponebant illam iam executam.

5 Ac demum eius continuationem neque mereri potuit, quæ fit per eandē actionem productiuam, atque omnino eadem ſemper permanet immutabilis.

De

De perſona aſſumente.

1 ITa proprium cenſemus perſonæ diuinæ propter eius infinitatẽ terminare plures naturas ſecundum ſubſtantiam vt nec perſonæ creatę nec creabili communicari poſſe virtutem ad alienam naturam terminandam arbitremur.

2 Non tamen ob id ſequitur, humanitatem Chriſti inclinationem habere ad propriam ſubſiſtẽtiam: quandoquidem meliorem habet, neque violentiam patitur; ſed ſatiatur eius appetitus tam elicitus, quam naturalis per ſubſiſtentiam diuini Verbi.

3 Vnam, & eandem numero naturam creatam poſſe ſimul terminari à tribus Perſonis diuinis, quod eſt diuinarum perſonarum priuilegium ſe inuicem non excludentium ab eadem natura; vt in diuina cernitur, pro certo habemus. ita pariter econuerſo vna perſona diuina plures naturas creatas terminare valet ob infinitam actiuam virtutem, & non repugnantiam in creatura.

4 Natura Angelica licet a Verbo diuino aſſumpta minime fuerit; erat tamen aſſumptibilis, minus tamen congrue, quam natura humana, in cuius aſſumptione maius toti vniuerſo bonum redundauit. Naturam etiam irrationalem completam aſſumptibilem à Deo firmiter credimus.

5 Omnes etiam partes tam eſſentiales, quam integrales, quæ a toto ſeparatæ à Deo conſeruari valent, & ſic ſubſiſtere, ſunt aſſumptibiles; quapropter hac de cauſa materia prima inaſſumptibilis erat, eo quod ſeparata incapax ſit exiſtentiæ.

De gratia Chriſti.

1 VLtra gratiam vnionis increatam, non requiri in Chriſto gratiam habitualem creatam, qua formaliter eius anima ſanctificetur, & in actum ſanctitatis reducatur eius potentia obedientialis, aſtruimus.

2 Quæ quidem gratia fuit ei debita titulo connaturalitatis, non quod ex humanæ naturæ principijs proueniat; ſed quatenus eam a natiuitate ſortitus eſt, quaſi a natura diuina dimanantem in humanam; ſicque illi debetur ex vi ſuæ conceptionis.

3 Chriſtus vt homo ex vi hypoſtaticę vnionis ſimpliciter fuit Deo gratus prius natura, quam hanc gratiam haberet, propterea quod eſſe diuinum ipſius humanitati optime cõtulerit; quod maximum beneficiũ non niſi ſummæ dilectionis effectus eſſe poteſt; hæc autem gratitudo non tantum perſonalis, ſed & formalis erat.

4 Gratia vnionis eo, quia ſubſtantialis eſt, & ſubſtantialiter vnit animam Deo, ex qua maior vnio gratiæ debita eſt, ſimpliciter perfectiorem eſſe gratia habituali tam in genere entis, quam in genere gratiæ, ſtatuimus.

5 Ceterum gratia habitualis Chriſti in eſſe phyſico accepta quæ eſt participatio formalis diuinæ naturæ, vt noſtra, eundemque effectum formalem in illo producit, in nulla ſpecie collocanda eſt, in qua non ſit noſtra, quia tamen dignitate infinita morali gaudet a ſuppoſito diuino proueniente, quod nulli puræ creaturæ competere poteſt, in eſſe moris ab illa ſpecie differt.

6 Quapropter ſi per miraculum humanitas a Verbo ſeparetur, tunc eius gratia habitualis infinita dignitate morali non gaudens, eiuſdē prorſus ſpeciei eſſet cum noſtra tam in eſſe phyſico, quam in eſſe morali.

7 Si Chriſtus gratiæ habitualis expers fuiſſet, eius operationes habentes principium formale, ſcilicet vnionem hypoſtaticam, ſupernaturales cenſendæ eſſent formaliter, nec non meritoriæ nedum ex parte operātes, verum & operis.

8 Ob quam gratitudinem perſonalem, ſecundum quam erat filius Dei naturalis, reddebatur incapax filiationis adoptiuæ; & vt homo, cui connaturaliter debebatur gratia, & gloria ex vi collati beneficij vnionis hypoſtaticæ, adoptio autem non niſi extraneæ perſonæ cōpetere poteſt, cui ex vi natiuitatis non debetur hæreditas,

9. Habuit Chriſtus gratiæ plenitudinem quantum ad eius quantitatem tam intenſiuam, quam extenſiuam; habuitque in ſummo gratiam ſecundum perfectiſſimum modum, quo haberi poteſt, eius enim anima Verbo hypoſtatice vnita maxime appropinquauit fonti gratiæ, atque ita gratiam recepit, vt ex ea in alios quodammodo transfunderetur.

10 Hæc autem gratia phyſice, & in ratione entis finitudinis limites non excedit, ſed ſubiecto finito, cui inſidet, ceu accidens proportionari debet in eſſe autem gratiæ eſt infinita ſimpliciter dignitate infinitatis moralis.

11 Quæ licet vt talis, ac tanta, & in eſſe gratiæ augeri nequeat, omnē gratiæ effectum poſſibilem præhabens; ex ſui tamen natura, & dignitate ſpecifica ſibi vendicat certum gradum perfectionis.

12 Ex huiuſmodi ergo gratia habituali fluxerunt in potentias animæ Chriſti inſtar paſſionum ab eſſentia eæ virtutes omnes perfectiſſimę, & cōnaturales, ad iſtas potentias perficiendas, quibus connaturaliter, ac delectabiliter earum actus virtutum elicere poſſet.

13 Fides Theologica virtus, quę eſt de non viſis in Chriſto a primo inſtanti ſuæ conceptionis comprǣhenſore, locum habere nequit, ſicuti neque in ceteris beatis; vbi enim venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt primo Cor. cap. 13.

14 Remota fide a Chriſto, quæ ſpei fundamentum eſt, conſequenter & ſpes

ab ipſo remouenda eſt, hæc enim eſt de non habitis, ſicut illa de non viſis.

15 Expectatio autem gloriæ corporis, quæ eſt obiectum ſecundarium ſpei, neque in Chriſto, neque in ceteris beatis eſt actus ſpei, cum ardui rationem non induat, habeaturque in gloria Animæ.

16 Septem tamen Spiritus Sancti dona, in Chriſto reperiri, nemo inficiabitur, eiuſdem prorſus rationis cũ noſtris; vt præter virtutes acquiſitas quibus cõnaturaliter, & delectabiliter operarentur potentiæ, per dona etiam perficerentur, quibus ex motione Spiritus Sancti perfectiſſime natæ eſſent, moueri ſec. illud lucę 4. Et ducebatur a Spiritu in deſertũ.

17 Donum timoris excludi non debet a Chriſto, non quod in mala culpæ vel pœnæ pro culpa vereretur incidere, ſed quatenus diuinam maieſtatem peculiariter reuerebatur, propter quod exauditus eſt pro ſua reuerentia ad hebreos 5.

18 In Chriſti domino excellentiſſime omnes nouem gratias gratis datas ſecundum omnem earum plenitudinem, & perfectionem, ad manifeſtationem ſpiritualis doctrinę cuius ipſe erat principalis doctor, fuiſſe, cum Angelico Præceptore ſentimus.

19 Nec prophetia ab eo eſt excludenda, cum nullam oppoſitionem habeat ex ſua natura cum beatitudine.

De ſcientia Animæ Chriſti.

1 CHriſtum vt hominem intelligere non potuiſſe de potentia etiam Dei abſoluta per intellectionem increatam defendimus; ſed vt homo per creatam, per increatam vt Deus tantummodo intelligere poterat.

2 Anima eius benedicta ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſcientiam beatorum, Deumque per eſſentiam vidit in qua omnia, quæ ſunt, fuerunt dicta, facta, cogitata, cuncta, quæ ſunt in potentia cuiuſcunque creaturę, & quicquid Deus ſcientia viſionis cognoſcit, nec inde Dei Verbum comprehendit.

3 Licet autem videat in Verbo infinita in genere accidentis, non tamen viſionem de infinitis habet in genere ſubſtantiæ.

4 Qua propter hæc ſcientia dici poteſt infinita extenſiue ſecus in genere entis, & ſcientiæ.

4 Anima Chriſti domini per ſcientiam ſibi infuſam ab inſtanti ſuæ conceptionis, omnia a quocumque intellectu creato viribus naturæ cognoſcibilia, imò futura contingentia, cogitationes cordium, actus liberos humanos, & Angelicos, cuncta ſupernaturalia creata vel creanda attigit.

6 Quin imo miſterium Trinitatis quoad an eſt, & quæ quouis modo diui-

nitus

actus innoteſcunt hominibus, eſſentia diuina dumptaxat excepta, percepit.

7 Cognoſcit attamen partim intuitiue, partim abſtractiue; potuit, non indiguit vti conuerſione ad phantaſmata, & diſcurſu per ſcientiam inditam.

8 Talis autem ſcientia fuit habitualis. & eſt diuerſus habitus diſtinctus à ſpeciebus infuſis.

9 Non caruit ſcientia proprio marte acquiſita, in qua vere profecit nihil ab homine, vel Angelo addiſcendo.

De Potentia Animæ Christi.

1 Animæ Chriſti omnipotentia Dei ſecundum totam ſuam perfectionem non fuit formaliter communicata, imò neque comunicari potuit, quicquid aſſerant alij.

2 Quin etiam ſecundum propriam naturam, & virtutem ſiue naturalem, ſiue gratuitam, habet potentiam ad omnes illos effectus efficiendos, qui ſunt animæ conuenientes.

3 Atque vt eſt inſtrumentum Verbi ſibi perſonaliter vniti, habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes miraculoſas immutationes ordinabiles ad Incarnationis finem.

4 Deus ſolus in nihilum creaturas potens eſt redigere, vt pote ſolus efficax ex nihilo illas plaſmare.

5 Chriſti humanitatem eſſe cauſam non ſolum moralem, ſed etiam phyſicam noſtrę gratiæ, aliorumque ſupernaturalium effectuum, cum maiori Doctorum parte, defendimus; non principalem, ſed inſtrumentalem.

6 Eadem profecto humanitas per modum phyſici inſtrumenti omnia operata eſt miracula, quæ Chriſtus ipſe fecit, dum hac mortali in vita verſabatur; quin & omnia, quę poſt diuini Verbi Incarnationem facta ſunt, atque vſque ad extremum iudicii diem fient.

7 In diuini Verbi humanitate, nec etiam in aliqua alia creatura nullam dari potentiam obedientialem actiuam ad patranda miracula, ad cauſandam gratiam pro certo habemus: hanc autem eſto gratis admitteremus in Chriſti humanitate adhuc ponendam cenſemus in illa aliquam formam ſupernaturalem, per quam proximè fiat potens inſtrumentaliter phyſice miracula, alioſque effectus ſupernaturales efficere.

8 Virtus autem, qua Chriſti humanitas, cæteraque Dei inſtrumenta potentia ad patranda miracula, gratiamq; cauſandam efficiuntur, non eſt dicenda motus, quo mouentur a Deo, ſed quædam qualitas naturæ ſua fluens, & tranſiens, ac propter ſubiecti dignitatem modum habitus induit.

9 Chriſti

9 Chriſti anima ſecundum propriam naturam, & virtutem non habuit omnipotentiam circa ſuum proprium corpus, bene tamen vt eſt inſtrumentum vnitum diuino Verbo in perſona; ac quicquid per ſe exequendum diuina virtute voluit, potuit non propria virtute, ſed inſtrumentaliter.

10 Eandem Chriſti domini animam, nullam habuiſſe omnipotentiam reſpectu eorum, quæ voluit vt adimplenda per alios, vt communis fert ſententia, tuebimur.

De defectibus corporis aßumptis a filio Dei.

1 Conuenientiſſimum fuiſſe a filio Dei corpus aſſumptum humanis defectibus eſſe obnoxium, atque ſubiacere, vt morti, fami, & ſiti arbitramur.

2 Ponendus eſt in Chriſto dolor ſenſibilis, ei enim non defuit nec læſio corporis, nec ſenſus læſionis; nec tamen ſequitur, aliquos corporales Defectus contraxiſſe.

De defectibus Animæ a Chriſto aſſumptis.

1 Chriſtus nedum de potentia ordinaria, verũ etiam neque de abſoluta peccati labe deformari potuit; idque efficaciſſime oſtenditur ea impoſſibilitate, quæ diuinum ſuppoſitum ab huiuſmodi negat, longeque abdicat deformitate.

2 Quin inſuper, licet indubitatũ apud omnes exiſtat, in Chriſto domino fuiſſe appetitum ſenſitiuum, vtpote pertinentem ad perfectionem animalis; fomes tamen peccati ſiue per modum actus primi, ſiue ſecundi, cum D. S. a Theologis in vniuerſum turmatim deſtruitur. Idque potentiſſime Diuus Thomas defenſat, quia .s. Chriſtus inſignitus fuit virtutibus moralibus, nec non gratia in perfectiſſimo gradu.

3 Quapropter Vaſquez, aliquique recentiores ſunt impugnandi, hoc quidẽ de potentia Dei ordinaria non tamen abſoluta concedentes. Abſolute enim reijciendus eſt a Chriſto domino, omni gratiarum plenitudine abundanti, peccati fomes nedum liber, & ardens, verum & ligatus atque extinctus.

4 Cum autem vt ad Coloſſ. 2. habet. in Chriſto omnes ſint theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, nulla erit ignorantia prauæ diſpoſitionis. eiuſque animam nec de potẽtia etiã abſoluta potuit denigrare, in ipſo licet ignorantiam multarum rerum, quarum cognitio non ſit ei moraliter debita, ſimus admiſſuri, huius enim defectus eſt culpabilis, cuiuſmodi eſt

cogui-

cognitio Dei, vt finis ſaltim naturalis legis.

5 Chriſtum Dominum affectibus ſenſitiui appetitus gauiſum fuiſſe certa tes eſt, atque de fide tenenda; quia Chriſtum credimus, aſſumpſiſſe humana in naturam cum omnibus ſuis facultatibus, & actibus, excepto dumptaxat peccato: propter prætatas tamen affectiones, nunquam Chriſtus dominus pugnam aliquam contra rationem, ſuperioremque animæ partem eſt expertus.

6 Loquendo de re ipſa non veremur cum doctis aſſerere, affectus hoſce in Chriſto vtique paſſionum nomina ſibi vſurpare; cõformius tamen mẽti Diui Tomæ propaſſiones potius quam paſſiones ſunt nunchpandæ; communiter enim, penesque rudes, hoc nomen, Paſſio male ſonat. & apud ſtoicos, paſſiones inordinatos ſignificabant affectus qua propter Tullius in lib. Tuscul. quæſt. paſſiones animæ ægritudines eſſe, aſſeruit.

7 In prædictis Chriſti ſenſus appetitibus, verus inſidebat timor, non efficax, ſed inefficax tantumodo.

8 Neque negandum, in Chriſto defuiſſe admirationem; hæc enim præſcindit ab imperfectione ignorantiæ; atteſtante vera D. Thomæ doctrina 22. q. 180. a. 8. ad 3. quod ſit actus conſequens contemplationem ſublimis veritatis.

9 Inſuper concedenda eſt ab inſectantibus Diue Thomæ veſtigia, in Chriſto domino vtique ira, quæ ex zelo; non ex vitio gegnitur.

De conſequentibus vnionem quantum ad ea, quæ conueniunt Chriſto ſecundum eſſe et fieri.

1 HÆc propoſitio, Deus eſt homo, veritatem ſeruat in ſenſu proprio, & in integro ſermonis rigore; conſequenter, quomodolibet ſumatur, reponi tamen nequibit inter propoſitiones in materia remota.

2 Neque recenſenda erit inter propoſitiones de materia naturali, neque de per ſe, ſilii Deus ſupponat pro habente deitatem abſolute, ſiue pro perſona filii conſiderata ſolum quoad formam ſignificatam .s. deitatem; vel etiam quoad ipſam perſonam, vt præciſe in deitate ſubſiſtentem.

3 Bene igitur cenſenda erit in materia naturali, nec non propoſitio per ſe, ſilii Deus, ſumpto pro perſona diuini Verbi iam ſubſiſtente in natura humana, ipſamque eminenter terminante, vt nobis Sacroſanctum corporationis miſterium inſinuat. qua propter etiam induit fidei veritatem infallibilem hæc propoſitio, Homo eſt Deus.

4 Hoc fidei dogmate infallibilitatis ſuis in terminis ſubſiſtente, Deus proprie poteſt dici humanatus, ſeu humanus, denominatiue ab humanita-

te

te aſſumpta, Ita Concilium profeſſum eſt Conſtantienſe, & Calcedonenſe.

5 Deus attamen humanatus ex D. Aug. & Ang. Doctore, neutiquam denominādus eſt homo dominicus; quod enim eſt tale per eſſentiam, taliter per accidens non poteſt denominari.

6 Ratione vnionis hypoſtaticæ quæ Chriſto ſecundum diuinam, creatamue naturam attribuuntur, tam de Deo, quam de homine prędicantur, & econuerſo. Non quia confundantur naturæ, & ex Eutichianorum, Theopaſchitaruque ſacrilego euomitur corde; neque, quia attributa diuinæ naturæ formaliter fuerint communicata naturæ humanæ, vt Brentius, & Kemnitius aſſerit, ſed per hoc præteiſe, quia iſtę duę naturæ fuerint ſubſtantialiter vnitæ eodem in ſuppoſito Verbi diuini.

7 Propoſitiones, in quibus prędicata diuinæ naturæ in cōcreto dicuntur de homine, & econuerſo prędicata humanæ naturæ dicuntur de Deo, ſunt veræ etiam in proprietate ſermonis, ſumendo dictas naturas in concreto, prędictaque prędicata abſque redupplicatione.

8 Non eſt dicendum abſolute. Chriſtus eſt creatura, ne in verbis conſortiū habeamus cum hęreticis, ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundum naturam humanam nedum ſpecificatiue, ſed etiam redupplicatiue. Eadem prorſus ratione eſt abſtinendum ab abſoluto hoc dicto, Hic homo, ſignato Chriſto, incepit eſſe.

9 Inde hęc propoſitio Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus, licet in rei veritate ſubſiſtat, ſi ly ſecundum quod, non ſumatur quoad naturam, ſed tantum accipiatur ratione ſuppoſiti; ſecurius tamen eſt magis neganda, quam affirmanda.

10 Hæc autem alia Chriſtus ſecundum, quod homo eſt hypoſtaſis, eſt vera, ſi ly ſecundum quod homo ſtet pro ſuppoſito, vel natura humana, vt habet eſſe in aliqua perſona; non vero, ſi intelligatur, quod naturę humanæ Chriſti propria perſonalitas, debeatur, ex principis naturę humanæ cauſata.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad eſſe.

1 Chriſtus abſolute loquendo non poteſt dici duo vel plura, ſed vnum, licet enim in illo ſint duæ naturę diuina ſcilicet, & humana, vnam tamen componunt perſonam, nec diſparate ſe habent.

2 Exiſtentia in rebus creatis diſtinguitur realiter modaliter ab eſſentia.

3 In eiſdem ſimiliter realem habent inter ſe diſtintionem exiſtētia, & ſubſiſtentia

ſiſtentia; prius tamen creata ſubſtantia actuatur per ipſam ſubſiſtentiam cuius eſt immediatum receptiuum, quam per exiſtentiam.

4 Humanitatem autem Chriſti non propria, ſed increata exiſtere Dei exiſtentia, cum D. T. defenſamus; in Chriſto enim domino ſecundum eundem diuinæ voluntatis interpretem, vnica exiſteſtentia nempe diuina locatur.

De pertinentibus in Chriſto ad vnitatem quantum ad voluntatem.

1 IN Chriſto duas ponendas eſſe voluntates de fide conſtat, inſuper præter rationis, ſenſualitatis etiam voluntatem in Chriſto eſſe perſeueranter atteſtamur. In altera quarum, ſ. in humana, libertas nedum a coactione, verum & a neceſſitate fuit.

2 In eadem itidem licet ponamus actus liberos, & neceſſarios, naturales, & ſupernaturales, ſimplicem voluntatem, intentionem, conſenſum, electionem, vſum, & fruitionem, actus inefficaces, & efficaces affectus amoris, odii, deſiderii, fugæ, delectationis, triſtitiæ, ſpei, deſperationis, audaciæ, timoris, & iræ; in vniuerſum inquam omnes actus bonos; conſtanter tamen principijs orthodoxæ fidei annixi, in Chriſto malos actus, & cæteros aſtrui poſſe, deteſtamur.

3 Licet autem quoad actus inefficaces cõformitatem non ſemper exercuerit Chriſtus voluntati Dei efficaci in volito naturali; bene tamẽ quoad efficaces, & ſecundum portionem ſuperiorem; nec inde tamen eſt deducendum, in Chriſto fuiſſe aliquam contrarietatem voluntatum.

De pertinentibus ad vnitatem Chriſti quantum ad operationem.

1 IN Chriſto nedum diuina, verum & humana concedenda eſt operatio, atque hæc vna tantum fuit, ac meritoria per actum a charitate elicitum; de facto enim habuit Chriſtus aliquem actum charitatis erga Deum diſtinctum in ſua libertate ab actu neceſſario, illumque perfecte meritorium apud Deum. qui actus regulatus fuit per viſionem tantummodo beatam; per ſcientiam enim infuſam actum charitatis Chriſti nequaquam fuiſſe regulatum, valde probabile eſt; munus namque ſcientiæ inditæ eſt; proponere ſolummodo voluntati ſufficiens motiuum diligendi Deum amore charitatis.

2 In actibus omnium virtutum exiſtentibus ſiue in parte ſenſitiua, ſiue intellectiua Chriſti, ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus, meritum elucere vt pote honeſtis, ac in finem ſupernaturalem relatis per charitatem, indubitatum eſt apud omnes. quin imo meritoria etiam illa opera Chriſti, quę cadunt ſub præcepto, huiuſmodi excellentia ſunt aſſerenda.

3 Chriſtum in primo ſuæ conceptionis inſtanti ſibi nobilq. nendum plura, ſed totum etiam id, quod ſibi, & nobis poſtea toto vitæ ſuæ decurſu non tamen poſt mortem meruit meritorie vēdicaſſe atteſtamur Chriſti que meritorum theſaurus eſt inexauſtus, infinitique valoris; & in quolibet indiuiduo meriti de ſe eſt ſufficiens ad quæ uſquæ præmia etiam ſi infinita ſint, non ſolum diuiſiue, ſed etiam collectiue ſumpta.

4 Valor autem talium operum nō eſt modus phyſicus intrinſicus illa afficiens, neque tranſcendētalis aliqua illorum relatio ad perſonam Chriſti tanquam principium eliciens; ſed moralis quædam dignitas, illorumque eſtimabilitas; quam habent per moralem vnionem, quam important cum ipſa perſona Chriſti ad faciendam vnam integram materiam obſequij:

5 Et his tamen non ſequitur, Chriſtum ſibi gratiam habitualem, gloriam eſſentialem, gloriam licet corporis, nominis exaltationem, & alia bona, quę ſub merito cadunt, meruerit, per meritum acquiſiſſe. Similiter neque vnionem ſuæ humanitatis ad diuinum Verbum ſiue de condigno, ſeu de congruo; ſiue pro ſigno naturæ, quo eius humanitas præintellecta fuit hypoſtaticæ vnioni, ſiue in inſtantibus temporis ſubſecutis; neq; per meritum in poſterioribus innixum operibus conſequenter neq; etiam de potenia Dei abſoluta continuationem vnionis hypoſtaticę.

6 Remiſſio peccatorum, gratia iuſtificans & gloria, omne item auxilium gratiæ excitantis, & adiuuantis, quod hominibus datur, vt ſe diſponant ad gratiam; imo in vniuerſum omnia bona ſupernaturalia; ſiue ante, ſiue poſt iuſtificationem, nobis ex meritis conferuntur Chriſti.

7 Ipſe, enim certiſſimum eſt, ſit caput Eccleſiæ proprie quidem; ſi ly caput Eccleſiæ ſumatur in vi vnius dictionis, improprie tamen, & metaphorice ſi in viduarum attendatur dictionum.

8 Prædictumque capitis munus diuerſimode penes diuerſitatem nembrorum Chriſto competit; fidelium enim actu, infidelium in potentia, nullomodo damnatorum capitis exercet prerogatiuam.

9 Inſuper vtpote caput, primorum etiam parentum in ſtatu innocetiæ, nec non Angelorum, redundauit eius gratia in illos.

10 Quin imo propter eādem rationem; & omnia quæ conlata ſunt antiquis patribus, aliiſque hominibus, qui ab origine mundi fuerunt poſt. lapſum primi parentis, bonitatem olentia, promanarunt a Chriſti gratia capitis, quæ a gratia habituali realiter diſtinguitur.

11 Eſſe igitur caput Eccleſię ſecundum interiorem influxum eſt proprium Chriſti, ſecundum vero exteriorem gubernationem poterit etiam aliis differenter, tamen attribui.

12 Quapropter dicimus, Diabolum eſſe caput omnium malorum ſecundũ exteriorem gubernationem, non tamen ſecundum interiorem influxum. Ratione cuius influxus Antichriſtus non eſt caput omnium malorum quantum ad ordinem tẽporis, nec quoad virtutem influẽdi, bene tamen quoad malitiæ perfectionem, & plenitudinem.

13 Licet tandem in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ; ex hoc tantum ſequitur, quod gratia, & gloria eſſentialis, quam Deus ex ſua liberalitate primo ſtatuit dare Angelis poſt præuiſionem Chriſti venturi, fuerint volitæ eiſdem Angelis propter Chriſti merita; non tamen ex Chriſti meritis fuerint primo Angelicis illis volitæ ſpiritibus.

Diſputabit publicè Florentiæ Frater Thomas Maria Speronius, qui ſupra in comitijs Prouincialibus Ordinis Prædicatorum in Conuentu Sanctæ Mariæ Nouellæ habendis anno 1647. Menſe Maij. Die Hora

Præſide Adm. Reu. P. F. Ioanne Franciſco Tempi Sacræ Theologiæ Lectore, & in præfato Cõuentu Sanctæ Mariæ Nouellæ Regente digniſſimo.

FLORENTIAE,
Apud Dominicum Giraffium. Superiorum permiſſu.
M.DC.XXXXVII.

1038.16
2
99 956959